



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Pastorum Continens Doctrinas, & Industrias ad Pastorale
Munus piè, fructuosè, ac securè obeundum pertinentes,
Unà cum Casibus frequentius circa idem Officium
occurrere solitis, & ex communiote ...**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1678

Membrum XIV. De ijs, quæ erga Eamulos & Ancillas observanda sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49267](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49267)

facilis futura sit suscipiendi hoc Sacramentum, debeat Parochus monere suos Parochianos, ut etiam Infantes septennium aetatis nondum ingressos pro Confirmatione Episcopo offerant? R. affirmative Laym. l. 5. tr. 3. c. 5. n. 2. atque hoc multo magis concedendum ait, si manifestum sit, ante hanc aetatem tales infantes rationis usum obtinuisse, aut in periculo mortis interea, dum alia occasio se offerat, obeundae existere; aut consuetudo Diocesis vigeat, ut ante rationis usum confirmentur; neque opus est, ut habeant memoriam acceptae Confirmationis plus, quam Baptismi, sed sufficit, quod, cum adoleverint, ex relatione Patrinorum, aut aliorum sciant, se confirmatos esse, ad cavendam iterationem Sacramenti.

Qu. 2. An, ut amentes ad Confirmationem adducantur, hortari debeat? R. affirmative cum eodem Laym. l. c. n. 3. praecipue si perpetuo amentes sint, aut in amentiam inciderint (modò non constet, eos peccato mortali obnoxios fuisse, quando inciderunt, nec brevi ad se redituri credantur) quia ejusmodi personae cum spiritali fructu & absque irreverentia tale Sacramentum sumere possunt. Rectè tamen faciet Pastor, si suae Diocesis consuetudinem inquirat, & sequatur.

Qu. 3. An, si Patrinus Baptismi etiam ad Patrinum pro Confirmatione se offerat, id permitti debeat? R. ordinariè quidem id fieri non debere; si tamen ex causa fiat, non esse peccatum, cum Patrinos hos diversos esse non debere, defausto doceant plures Auctores apud Busenbaum l. 6. tr. 2. c. 2. d. 3.

M E M B R U M X I V.

De ijs, quae erga Famulos & Ancillas observanda sunt.

Qu. Quid erga Famulos & Ancillas observare debeat Pastor? R. ea praecipue illis suadenda, quae sequens stropha indicat.

- Ut servent in officijs
- Mentis tranquillitatem.
- Ut praestent in servitijs
- Magnam fidelitatem.

Instructio IV.

N

Ut

Ut colant in imperijs

Herorum potestatem.

Pro primo proderit illud Ecclesiastici c. 22. consilium sequi: *Confide in DEO, & mane in loco tuo, facile est enim in manu DEI subitò honestare pauperem.* Pro secundo non parum juvabit insignis S. Pauli Eph. 6. ad servos exhortatio: *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem DEI ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.* Pro tertio denique servient ejusdem iterum Sancti rebus exhortationes, præcipuè dum ad Romanos c. 13. scriptum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi à DEO; qua autem sunt potestates, à DEO ordinatae sunt. Itaque, qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Et iterum Hebr. c. 13. Obedite Præpositis vestris, & obedite eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.*

MEMBRUM XV.

De ijs, quæ erga Sponsos observanda sunt.

Qu. 1. *Quid erga Sponsos observare debeat Pastor?* R. præcipuè sequentibus versiculis comprehensa illis sumenda esse, nempe

Ut contrahant legitime

Ad damnum evitandum.

Ut fidem servent integrè

Ad crimen declinandum.

Ut copulentur licitè

Ad DEVM honorandum.

Qu. 2. *Quid ad Matrimonium legitime contrahendum requiratur?* R. tria præcipuè. 1. Ut careant impedimento dirimente. 2. Ut careant impedimento impediente. 3. Ut consensus Parentum accedat; nam etfi hic absolute ad validandum matrimonium non requiratur, juxta probabiliora